

2865

Qk. 168

3

Ve
1922

TRACTATUS,
DE
DIFFERENTIIS
PROCESSUS JUDICIARII

CAMERÆ IMPERII A PROCESSU
JUDICIORUM SAXONIÆ,
CAPUT PRIMUM,

QVOD,
SPECIMINIS INAUGURALIS LOCO
IN ACADEMIA PATRIA,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE DE BOINEBURG,

SACRÆ CESARÆ ATQVE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO IN-
TIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM MO-
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE
SUPREMO CHORL. EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MO-
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQVE
ERFURTENSIS PRO-PRINCEPE;

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES ET PRIVILEGIA
RITE ADIPISCENDI,

DIE XXX. MAJI, ANNO MDCCXIV.

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBMITTIT

JOANNES WILHELMUS LUDOLF,
ERFURTENSIS.

ERFORDIÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, ACAD. TYPOGR.

4

UNIVERSITÄT
ERFURT

UNIVERSITÄT
ERFURT



TRACTATUS

DIFFERENTIIS
PROCESSUS JUDICIARI

CAMERAE IMPERII A PROCESSU

JUDICIALI SAEPE

CAUSAM

EXEMPLUM IN VARIIS LOCIS

IN VARIIS PARTIBUS

REPERTIS MENTISSIMO

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO

COMITE DE HOENBERG

DEI GRATIA SACRAE CAESARIS MAJESTATIS

CONSILII AUSTRIACI COUNCILORUM

SECRETARII ET REGENTIS

PRO HAC PARTE

SUMMO IN CHRISTO HONORE ET VIRI LEGIS

AD

PUBLICAE REPERTORII DISPOSITIONI

JOHANNES WILHELMUS LEHOLF

AVGVSTANA

APPROBATA A JOH. HENRICO GROSSCH. 1700





L. N. D.

CAPUT I.

DE DIFFERENTIIS PROCESSUS CA-
MERALIS ET SAXONICI, QVOAD
PRÆCOGNITA PROCESSUS.

§. I.



Istorian cujuscunq̄ue disciplinae *De ortu Pro-*
scire, res est adeo necessaria, ut *cessus in geo-*
dimidium facti habeat, qui ab *nero.*
historia inceperit, eamque sibi
reddiderit notissimam. Exem-
pla disciplinarum Philosophiæ &
Jurisprudentiæ, cum publicæ,
tum privatæ, id, quod dico, satis testantur. Quippe
nostris temporibus viri præstantissimi, non solum
investigando earum ortui ac progressui admovere
manum, operæ duxerunt pretium, verum maxi-
mum quoque apud eruditos applausum labore ejus-
modi

A

modi sunt consecuti. Differentias Processus Cameralis & Saxonici tradituro animus non est, omnem Processus Judiciarii historiam persequi, is enim labor & scopo & terminis, quibus Disputatio Academica concluditur, non conveniret. Id tamen præterire non possum, processum ad obtinendum quod justum est ab eo, qui præstare id recusat, vel moras pectit, cum ipso statim jure esse ortum. Nam quid profuisset, ordinem Imperantium & parentium constitui, si unicuique licitum fuisset, sibi ipsi jus dicere, & illud exequi, quid juvisset leges ferri, nisi & prodita essent remedia juris obtinendi. Sic apud Romanos una cum Legibus XII. Tabularum latis, & reliquo jure Civili, etiam legis actiones inveniebantur, *L. 2. §. 6. de Orig. Jur.* Quemadmodum autem versutia reorum, & eorum, qui advocando iis aderant, varias excogitavit technas, remedia juris legitima eludendi: Neque minus calliditas actorum, reos intricandi & litibus vexandi: Ita ex simpliciori, qui olim fuisse videtur, procedendi in judiciis modo, amplior & artificiosior successu temporis est adinventus, intentione quidem meliori, ut credo, quam effectu. Illam enim fuisse existimo, ut actoris justa intentio celeriori auxilio judicis frueretur; reorum nemini defensio sufficiens præcluderetur. Effectus vero artibus Advocatorum, & Judicum nonnullorum vel imperitia, vel negligentia, vel etiam indulgentia, non dicam malitia, sæpe non is obtinetur, qui speratur. Quapropter in signe est in Republica beneficium ubi bonorum copia est
 Advo-

Advocatorum, ut administratio justitiæ viris integris & prudentibus, qui, si fieri possit, tam in causarum duratione, quam in earum eventu, interesse nullum habent, sit commissa.

§. 2. Germani, quemadmodum in legibus ferendis, ita & circa processum fuere simpliciores, prisca temporibus. Nihil magis iis exosum, quam Advocatorum Romanorum calliditates. Testis ejus rei potest esse *FLORUS Hist. L. 4. c. 12.* Nihil inquit, *caede illa* (ab Arminio Varo Quintilio inflictæ) *per paludes perque silvas cruentius, nihil insultatione barbarorum* (ita a Romanis appellabantur omnes exterræ gentes, præter Græcos) *intolerabilius, præcipue tamen in causarum patronos: aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera sibilare desiste.* Propinquioris ævi processum inter Germanos brevissimum & arbitrarium fere fuisse, ita, ut causæ quæque difficiles duobus vel tribus ad summum diebus judicialibus ad finem fuerint perductæ, ex *LEHMANNO* discimus, *Chron. Spir. L. 2. Cap. 27. §. 30.* Neque est dissimile vero, quod de Germanorum processu in causis dijudicandis, jucundum in modum recenset *JOH. PEZ. Ludwig* in Tractatu, *von Mängeln und Verbesserung des Teutschen Lehn-Rechts* §. 7. Introducto deinde Juris Canonici usu, quem antiquiorem esse, quam Juris Civilis Romani, ostendit celeberrimus *THOMASIVS* in *Cautelis ad Hist. Eccles. cap. 21. præcipue §. 35. 44. seqq.* processum quoque judiciorum aliam induisse formam

dubium est nullum: adeo ut hodiernum ex Jure Canonico & Romano sit mixtus, potissima tamen pars juri debeat Canonico.

Ejusdem incrementum.

§ 3. Porro ut omnes artes omnesque disciplinæ sua habuerunt principia & perfectionum gradus, ita & in processu judiciario diversis temporibus prudentia legislatoria emendandum quid invenit. Atque ut ad scopum accedam propius, factum illud esse cum primis deprehendimus circa processum summo cameræ imperii tribunali præscriptum, in cujus instauratione atque emendatione sollicita subinde adhibita fuit cura, idemque ut per universam Germaniam in judiciis statuum, immo & in ipso judicio aulico Cæsaris, *vid. I. P. Westphal. art. 5. §. Quoad Processum ss.* quantum propria ipsorum statuta & consuetudines permittunt, per omnia observetur, expresse dispositum in R. I de An. 1654. *§. Es sollen auch 137. Conf. Conceptum Ord. Cam P. 2. t. 21. §. 9.* Similiter Saxones, consuetudinum suarum semper amantissimi, in multis processus partibus accidentalibus peculiaribus quædam retinuerunt, iisque novas quasdam ordinationes postea addiderunt. Et cum insignem illi in ordinando processu judicii laudem essent assequuti, evenisse constat recentiori ævo, ut nonnullæ provinciæ, ipsorum legibus haud subjectæ. Saxonico processum, pro maxime rationabili illum habentes, sponte in judicia sua introducerent. Licet autem, in quantum dixi Saxones peculiaribus quædam observent, eaque ipsa differentiarum, de quibus mox differere proposui, mate-



materiam suppeditent; quoad substantialia tamen a reliquorum judiciorum Germaniæ & vicinorum Regnorum forma minime deflectunt, nec nisi naturali æquitati vis inferatur, ab iis discendi potest. Substantialia vero processus ea dico, quæ ad causæ cognitionem necessario requiruntur, v. c. ut nemo in propria causa sit pars & iudex, ne reus inauditus condemnetur, ne defensio necessaria præscindatur, & alia in famosissimo illo Capitulo *SÆPE Clement. de V. S.* comprehensa, vid. *SCHILT. ad tit. inst. de Off. judicis Aps. 28.*

§. 4. Differentias utriusque processus, *Ca-Ratio mei*
 meralis & Saxonici, ut, speciminis inauguralis lo-
 co traderem, consilio factum est eo, ut, quæ huc *insiuuti.*
 usque ea de re legerim, in usum transferrem. Post-
 quam autem potissimas in hoc studio partes ipsa-
 rum legum processus acquirendæ notitiæ deberi
 cognovi, illasque, quantum mihi datum fuit, per-
 lustravi: non melius leges addisci posse existimavi,
 quam differentias examinando. Et cum summa
 divisio juris Germanici olim fuerit, quæ & ad-
 huc usum præstat non levem, in Alemannicum &
 Saxonicum, de cujus auctoritate *CONRINGIUS in*
præclaro opere, de Orig. jur. Germ. agit, adde *Cele-*
berr. THOMASII in Historia Juris, & TREIBE-
RUM in Diff. de Prærogativa morum Germaniæ in con-
cursu cum LL. receptis, sub Præs. Hornii habita. Ita
 omnem judiciarii processus in Germania differenti-
 am arbitratus sum esse non aliam, quam ut sciretur,
 quid in Camera, summo Imperii Judicio, &
 in Saxonia, tot annorum spatio & experientia a
 A 3 pru-

prudentissimis viris legislatoribus & iudicibus esset consulto introductum, & quæ utriusque legislationis esset diversitas. Ubi etiam pro ingenii modulo rationes diversitatis indagare licitum mihi fore, putavi. Non equidem ignoro, dari etiam differentias quasdam processus Cameralis ab eo, qui observatur in Judicio Aulico Cæsareo, quas ostendit *JO. ANDR. GERHARD in Diff. de Diff. Jud. Aul. & Cam.* immo & in aliis judiciis extra Saxoniam; sed has puto esse pauciores, atque ad summam rei non pertinentes. Cæterum excusabor facile ab errore, si id, quod lege publica constitutum est, ita observari crediderim, donec aliud fuerim edoctus, *R. I. deput. de A. 1600, §. die weil aber 15. I. P. Westphal. art. 5. §. 55. ubi HENNINGES in Meditationibus. Ord. Jud. Aulici tit. 2. §. 8. conf. DECKHERR. ad Blum. tit. 1. §. 18.* Itaque ad institutum pergo.

*De origine
Processus
Cam. & Sax.*

§. 5. Differentiam illam, quæ ab origine utriusque processus petitur, post illa quæ modo dixi, paucis absolvere potero, cum Cameralis processus a jure scripto; Saxonicus vero a moribus repetat originem. Fuit deinde & Saxonicus legibus scriptis in meliorem formam redactus, sed ego hic de origine loquor prima. Mores isti cum sensim invaluerint, initium processus judiciarii Saxonici cum ipso jure Saxonico cœpisse, non erit absurdum dicere; Cameralis vero processus initia ad institutionem judicii referenda esse, quæ auctore Maximiliani I. Imperatoris, sub finem seculi XV, optimo consilio & salutari, facta est, constat inter omnes. Hic inquam,

inquam, Imperator ipse iudicium Camerale Francofurti ad Mœnum aperuisse, eique præfedissee publice, non est dedignatus. Sceptrum iudiciale, quod hodie adhuc in camera, quando audientia & actus solennes celebrantur, a Iudice vel Præsede geritur, memoriam laudatissimi Imperatoris, qui id iudici, tunc temporis constituto, ut relatum est mihi, tradidit, conservat.

§. 6. Rationem politicam instituti iudicii cameralis cum ea in dijudicandis variis processibus velut status rationis locum tueatur, & ad Saxonica iudicia non ubique perinde quadret, paucis hic dignoscere, haud abs re futurum existimo. *BLUMIUS Proc. Cam. tit. 4.* statuit, institutum illud fuisse ad averruncanda bella intestina, conservandam recens tunc promulgatam Pacem publicam, graves item Maximiliani Imper. occupationes sublevandas, & ut litigantium, qui antea magnis sumptibus Imperatoris curiam, quacunque migrabat, sequi tenebantur, commodis consulereetur, eoque expeditius administraretur iustitia. *DECKHERUS in Vindiciis ad illum, cod. tit.* sequentes causas, inter gravamina statuum, adducit, quod locus fixus Cameræ Imperiali pristinae, de qua vid. *RODING. Pand. Jur. Cam. L. 1. tit. 2. §. 9.* nullus datus, nec personæ certæ ad ejus functiones unice destinatae, nec imparialem iustitiam obtineri a personis, speciali fide soli Cæsari obstrictis, creditum fuerit, & quæ sunt reliqua. Utut autem singulas has circumstantias momentum suum attulisse, negari nequeat.

De causa instituti iudicii Cameralis.

queat. Alii tamen complures, majore cum verisimilitudine, multitudinem litium, in Imperio tunc temporis gliscentium, præcipuam causam impulsivam instituti illustris hujus Judicii fuisse, asserunt, *vid. Leben und That. Josephi R. R. tit. 40. MONZAMB. cap. 5. §. 17. & CONRING. in Diss. de judiciis Reip. Germ. §. 98. & 99.* Et cum nostro adhuc ævo sacrum nostrum imperium infinita fere litium copia, magis ac unquam, abundet & prægravetur, evidens esse existimo, quod unusquisque, cui patriæ salus & justitiæ administratio curæ vel cordi est, ad augendum atque ornandum judicium Camerale, quantum in ipso sit positum, promte debeat conferre. Sed ne extra oleas longius vagari videar, illam hi differentia venit indicanda, quod constituendi judicium cameræ causa maxime ex regulis prudentiæ Politicæ fluxerit; Saxonicus vero processus magis ex Jure Naturæ media jus suum impetrandi necessaria ut in republica habeantur, jubente, derivetur.

*De historia
judicii Ca-
meralis non
nulla.*

§. 7. De processus differentiis agenti non opus esse arbitror, ut de judicii cameræ Imperialis historia agam pluribus, maxime cum *BLUMIUS in Proc. Tit. 2. & 4.* aliique sufficienter jam commemorarint, quibus ordinationibus & constitutionibus Imperii processus Cameralis, temporum successu, instructus, quæ justitia judicium hoc passum fuerit, quas sedis mutationes, quæ denique circa numerum Assessorum fata sit expertum. Illud præterire non possum, fatales judicii Cameralis periodos merito reputari duos illos casus justitii recentiores

tiores, quorum primus contigit An. 1688. per excidium Spirense, vi hostili factum. Quippe cum locus alius, ubi Camera commoraretur, mox assignari non posset, justitium inde emergere necesse erat. Solenniter postea restitutum Judicium Wezlaræ An. 1693. die 26. Maji, vid. *Decretum generale Collegii ejus diei, quod extat inter reliqua Wezlaræ de re Camerali typis mandata, & Leben und Thaten Jos. Röm. Kayf. Tit. 20. num. 4.* Alter non vi hostili, sed simultatibus internis, antea gliscentibus, erumpentibus tandem cum occlusionem Cancellariæ, die 7. Aprilis 1703. facta, fuit causatus. Quod justitium tanto tempore duraturum, ipsi qui occlusioni consenserunt, forte non erant suspicati. Causas dissensionum vid. in *LANGII Introd. ad Historiam L. 3. sect. 3. §. 13. & in Vita Josephi Imp. tit. 14.* Cum quibus *LANGII* scriptis tamen si acta ipsa publice hac de re edita conferat, qui accuratam hujus rei notitiam desiderat, haud absque utilitate id facturum ipsum, putarem. Anno 1706. Deputati Imperii ad visitandum Cameram missi sunt, quorum auxilio factum, ut die 28. Januarii 1711. pristino illa vigori & suis justitiæ cursus restitueretur, vid. *El. Jur. Publ. Tom. 3. Art. 8.*

§. 8. Quoniam cameralis judicii historiam in præcedenti §o brevibus perstrinxi, conveniens erit, & de ea, quæ Saxonicum processum concernit, quædam dicere. Hunc certis consuetudinibus originem debere, jamdum monui. Primis illæ temporibus per prudentes & in causarum tractationibus

*De historia
Processus
Saxonici.*

B

exer-

exercitatos viros, qui certis locis diu præfuerunt, semper & æquabiliter sunt observatæ. Eas deinde ab Imperatore CAROLO, Magno dicto, confirmatas & legis in Saxonia robore munitas, Eccardus a Repkau, privata opera, in tres libros congessit, qui nomine Juris Saxonici Provincialis, Germanice *Land-Recht*/veniunt. Speciatim autem processus instructus fuit per *Nicht-Steig Land-Rechts*/quæ utraque extant in speculo Saxonico. Plura de historia Juris Saxonici antiqui dicere, ad scopum meum haud requiri puto, & ne præterea actum agere videar, sufficere mihi allegasse *COLERI Orationem de Orig. & Progr. jur. Sax. præmissam Operi de Proc. Execut. STRYKIUM in us. mod. disc. Prelim. §. 8. seqq. MAURITIUM in Præfat. ad Consil. Chilon. ubi de jure Saxonico agit, (dolendum quod paragraphis illa non sit distincta) add. WERLHOF. in Jur. antiquo enucl.* De recentiori autem ævo quædam adhuc addere haud inutile fore existimo. Cum enim successu temporis jus Saxonicum magis ex usu, quam verbis speculi æstimaretur, prout testatur *MAURIZIUS d.l. de restauranda certitudine & harmonia juris in Saxonia postea aliquoties fuit deliberatum.* Illud certum est, in nulla alia Germaniæ provincia, neque in ullo alio judicio, Camerale si excipias, tanta diligentia, tantoque successu in judiciali processu ad amussim formando, fuisse laboratum, ut in Saxonia. Testes ejus rei sunt promulgatæ hunc in finem complures constitutiones, ordinationes & decisiones Electorales, aliaque in *Cor-*
pore

pore Juris Saxonici, ita dicto, comprehensa, quæ ipsa Processus Saxonici norma hodiernum existunt. Postquam tamen partim in earum interpretatione Doctores in diversas abirent sententias, partim dubia non pauca circa processum, nondum hactenus decisa, invenirentur, novissime *AVGVSTI, REGIS POLONIARVM* &c. jussu, in Comitibus Provincialibus Anno 1699. Ordinatio judicii fuit recognita, dubia, quæ extabant, decisa, & reliqua, quæ utilia visa sunt, disposita, indeque nova judiciorum ordinatio composita, quam sub nomine *Recognita exhibet & observationibus illustrat illustris BERGERVS in Electis Disceptationum forensium.* Verum quia recognita hæc Ordinatio promulgatione necessaria vim legis nondum accepit, in usum fori hactenus illa deduci non potuit, vid. *Ejusd. Præf. ad El.* Porro ex quo Saxonia in Electoralem & Ducalem fuit divisa, Serenissimi quoque Ducis Saxonie peculiare Ordinationes judicii suis præscripserunt, quas mox §. 10. recensebo.

§. 9. Prius quam ad alias differentias pergo, *De Normis Processus Cameralis.* norma utriusque processus erit consideranda, quæ & ipsa lapis ille Lydius est, ad quem differentiarum omnes præsentis tractationis veniunt examinandæ. Processus Camerae Imperialis norma, de qua primo loco dicam, in univèrsum est Lex publica, Imperatoris & Statuum Imperii voluntate & consensu lata. Hæc autem Lex non una ratione fuit promulgata. Et veteres quidem Camerae ordinationes, cum exiguus earum usus supersit, pro hodierni

processus norma vix haberi poterunt: Quapropter principium & fundamentum hodierni juris cameralis potius arcessendum duco ab *Ordinatione Camerae* de Anno 1555. qua hodie sub nomine Ordinationis, absolute dictæ, in allegando utimur. De qua notandum, quod non solum processus in Camera, sed aliarum quoque actionum in Imperio regula existat, & Recessus Imperii plane naturam habeat, ita ut & simpliciter dicatur, *des Reichs Ordnung* / vid. *Ord. P. 2. C. 8. §. 3. Conc. P. 2. C. 8. §. 15. add. que supra dixi in §. 3.* Deinde norma processus, de quo nobis est sermo, innotuit ex *Recessibus Imperii & Deputationum*, qui Ordinationem consequuntur, præcipue ex illo de Anno 1654. quem in processu emendando & abbreviando egregia præstitisse, cuius constat: Annumerandæ his sunt *Ordinatio politica, Capitulationes Casarea* & reliquæ constitutiones Imperii, modo hæc per *EMINENTISS. ELECTOREM MOGUNTINUM, IMPERII ARCHICANCELLARIUM*, Camerae fuerint insinuatæ, vid. *BLUM. tit. 2. §. 9.* Porro *Recessus & Memorialia Visitationum.* (Novissime habitæ visitationis Recessus cum in processu nihil immutet, ad præsens institutum non pertinet. Veniunt adhæc in eundem censum *Communia Decreta* five *SCra Camerae, die gemeinen Bescheide.* Data quippe est iudicio Camerali potestas, processum declarandi, emendandi, & nova circa illum, si res ita ferat, ordinandi, & quicquid de his fuerit conclusum, illi plenum legis publicæ robur accommodatum per
Ord.

Ord. P. 2. Tit. 36. vid. insuper Fl. jur. publ. Tom 4 p. 26.
 Illud tamen observandum, quod provisionaliter illa
 ferantur, per Visitatores, & postea in ipsa Diæta Im-
 perii confirmanda vel reformanda, *dd. ll.* Interim
 hæc leges ferendi potestas Cameræ Imperialis, pla-
 ne singularis est, & neque Saxonice, neque ulli faci-
 le alii Germaniæ judicio competit. Decretorum
 communium collectionem usque ad An. 1670. *BLV-
 MIVS* edidit, & concepto suo annexit, conf. *MAV-
 RIT. d. Præfat.* Singulas autem modo memoratas
 constitutiones, in decentem ordinem relatas, con-
 gesit prælaudatus *BLVMIVS* in *Concepto Ordinatio-
 nis Cameralis*, privata ipsius opera adornato, quod
 etiam vim legis habere dicitur, & in allegando ad id
 provocatur, non quidem tanquam ad merum con-
 ceptum, pro scribentis lubitu concinnatum, sed quia
 omnia & ipsissima plerumque ejus verba ex legibus
 publicis sunt desumpta, vid. *DECKHERR. Cult. Cam.
 C. 7. Styli* quoque Cameræ exacta in processu est
 habenda ratio. Quod enim *STRYK. in Introd. ad
 Prax. C. 1. §. 7.* ait: *Nosse stylum curiæ valet pluris,
 quam tota scientia juris*; Illud quoque ad Camera-
 præcipue quadrat: siquidem expressa lege statutum,
 ut Dni. Assesores illum ubique in ferendo senten-
 tias ob oculos haberent, vid. *Conc. P. 1. Tit. 19. pr.* Et
 hinc quoque est, quod in Camera nemo in Procura-
 torum numerum recipiatur, nisi antea Advocati
 munus obierit, cum in Procuratore major styli Ca-
 meralis experientia, quam in Advocato, requiratur,
 vid. *BLUM, Tit. 10, n. 3. & Tit. 2. n. 19. seqq.* Sed

meliora omnia, quam quæ a me hie dici possent, prædiciam publico tradet Vir Illustris, Georgius Melchior de Ludolf, S. R. I. Eques, & Cameræ Imperialis Assessor, in Præfatione, Sententiarum Cameralium Collectioni præmissa. Illud adhuc, prout præsens tractatio requirit, addere mihi licebit, Saxones antiquum consuetudinum suarum amorem necdum hodie deposuisse, & peculiari suo judiciorum stylo uti: siquidem *BERGERUS in Præf. ad Electa, innumera esse, testatur, quæ quamvis scripta nusquam legantur, moribus tamen apud nos invaluerunt, atque prudenti consilio observantur.* Cameralem styllum à Saxonico in plurimis diversum esse, illud quidem facile conjicere licet; differentias autem utriusque styli indicare, res infiniti foret negotii, quapropter eas saltem, quæ ex legibus scriptis resultant, hie tractare expediet. Cæterum posse utrumque styllum, ejusque diversitatem è Sententiis, Observationibus vel Decisionibus, publice hinc inde editis, quem insignem hæ præstant usum, pro parte addisci, nemo est, qui dubitet. Quæ pro norma hæctenus recensui si deficient, tandem in subsidium vocatur *Jus Commune Imperii*, Civile nimirum & Canonicum, quod publica lege in Imperio nostro receptum est per *Ord. P. 3. Tit. 54. & R. I. de A. 1674. §. Benebens sollen. 105. add. STRYK. Us. Mod. Disc. Præl. §. 24. seqq.*

*De norma
Processus
Saxonici.*

§. 10. Saxonici processus norma, cum in præcedenti §. simul cum Camerali commode tractari non potuerit, separatim jam venit exponenda.

Illam

Illam Saxoniam partem quod attinet, quæ Augustissimi Electoris legibus subjacet, pro norma processus ea agnoscit Ordinationem judicalem de A. 1622, & post eam promulgatas similes constitutiones, quæ in corpore Juris Saxonici exhibentur, ad quod benevolam lectorem remittere mihi sufficit; recensere autem omnes prolixum nimis foret, adde quæ supra §. 8. de Ordinatione recognita dixi. Serenissimi autem Duces Saxoniam successu temporis proprias processus ordinationes provinciarum suarum judiciis præscripserunt. Extat (1) Ordinatio communis Curiam Provincialis Jenensis de A. 1653. quæ cum à Sereniss. Ducibus Saxonis, utriusque lineæ primis parentibus, *WILHELMO* & *ERNESTO*, sancita sit, per Saxoniam Ducalem, quod fieri possit, hodiernum est observanda. (2) Illa, quam Ernestus, Pius dictus, Ducatui Saxo-Gothano Anno 1679. præfinivit. (3) Altenburgensis. (4) Isenacensis de A. 1702. Ubi dehinc peculiares Ordinationes deficiunt, quod v. c. in Ducatu Vinariensi ita se habet, Electorales Constitutiones in usum fori adhibentur, eo quod sint maxime rationabiles & summum mereantur applausum, ut ait *MARTINI* in *Præf. Comm. for. n. 65*. Utrobique vero in subsidium ulterius adhibetur Jus commune Saxonicum, in Speculo Saxonico conscriptum, & jus commune Imperii. vid. *Jenaische Hofgerichts Ordnung/cap. 15.* & conf. *Coburgische Hofgerichts Ordn. de A. 1598. Cap. 6.* Provinciarum Ducalium Ordinationes in omnibus ferme processus capitibus

bus inter se conveniunt, ab Electoralibus vero non nihil illæ discrepant. Et licet quoad substantialia Saxonici processus illæ ab his haud multum defleant, quod probat *MARTINI d. l. n. 66.* si tamen singulare quid in istis, quod ad rem meam faciat, occurrerit, non sum neglecturus. De Differentiis Juris Sax. Electoralis & communis vel provincialis ex instituto egerunt *JOH. STRAUCHIUS, JOH. SCHILTERUS* & Anonymus quidam, vid. *STRUV. Bibl. Jur.* quibus addi possunt ex differentiæ, quas *NICOLAI Processui suo judicario* præmisit.

De Scripto-
ribus ad
utrumque
Processum,

§. II. Qui de processu Camerali scripserunt auctores licet pro norma ipsius non habeantur, & majoris utilitatis res sit, ipsum textum Legum & viridem nosse observantiam, vid. *BLVM. Tit. 2. num. 25.* ad illum tamen variis modis illustrandum conducunt, & ubi leges Camerae scriptæ cessant, ibi auctoritate quadam pollere incipiunt, quatenus de observantia testantur. Illos ut ordine recenscam, opus non est, siquidem catalogus illorum, cum addito de singulis judicio, jam extat in *DECHERRI. Diss. de cultu juris Cam. cap. 8. seqq.* cui si addatur *MAURIT. in all. Pref.* penus eorum satis amplius habetur. Saxonici scriptoribus plus forsitan auctoritatis, experientia teste, in foro tribuitur, id quod exinde provenire credo, quod in Saxonia interpretationi doctrinali, præcipue circa legum antiquarum explicationem, quas plerique pro scripto jure agnoscere nolunt, multum fidei adhibeatur, vid. *WERLHOF. in jur. ant. enucl. C. 2. §. 10.* Camerales vero proces-
sus

fus leges non nisi authenticæ Visitatorum vel ipsius
 Camerae interpretationi subsint. Recensuit Saxoni-
 cos itidem cum iudicio *MAURIZ. all. 1.*

§. 12. De processu utriusque norma cum ege-
 rim, conveniens erit, ad specialia nunc transire, quō-
 rum quædam se offerunt circa differentiam ipsius
 iudicii Cameralis, locum ejus, & personas illi cō-
 operantes, a iudiciis Saxonis. Iudicium autem
 vel accipitur pro tribunali atque officina justitiæ,
 vel pro forma iudicii, sive processu judiciali. Quæ
 circa hunc occurrunt differentiæ, infra in peculiari
 capite pertractabo; de illo vero impræsentiarum est
 agendum. Ad Camerae Imperii conditionem &
 qualitates attendens, multis modis eam & a Saxo-
 nicis iudiciis esse diversam, & illa quoque antecelle-
 re, deprehendo. Cameralis enim iudicii (1.) major
 est autoritas, quippe ipsius Cæsaris nomine man-
 data, sententiæ & alia ibi emanant, *Conc. P. 3. Tit. 12.*
 §. 7. & est illud commune totius Imperii Romano-
 Germanici iudicium: quapropter etiam adhuc sub
 initium hujus seculi ipse *ELECTOR TREVIREN-
 SIS* iudicis Camerae munus obire haud fuit dedi-
 gnatus: & hanc quoque causam puto esse non mi-
 nimam, quod Collegium Camerale ut suspectum re-
 cusari nequeat, vid. *BLUM. tit. 3. n. 11. RODING.*
L. 1. tit. 3. §. 11. Saxonica vero iudicia tanto digni-
 tatis splendore non gaudere, & ut suspecta posse re-
 cusari, constat, vid. *NICOL. Proc. Jud. Cap. 22. n. 3.*
 (2) Major est Camerae potestas, siquidem cum iudicio
 Cæsaris aulico concurrentem in plerisque habet
 C
 juris-

*Tribunalis
 Camerae di-
 versitas à
 Iudiciis Sa-
 xonicis,*

jurisdictionem, eamque in omnes regulariter Imperii subditos, mediatos & immediatos, nisi privilegium aliquod obtinet, exercet, potestatem quoque habet, cunctos imperii subditos in bannum Imperiale declarandi, & quæ plura e deinceps adducendis huc faciunt, vid. *BLUM. tit. 25. n. 28.* Saxonicæ vero jurisdictionis exercitio hæc multum superiora existunt, ita ut dici vere nequeat: quæcunque potest Camera in Imperio, illa quoque possunt suprema Saxonica judicia in Saxonia. (3) Judicium Camerale est summum, ita, ut ab eo non possit appellari, nec Revisioni locus detur in omnibus causis, quæ per modum simplicis querelæ ad Cameraam deferuntur *R. I. de A. 1674. §. zu Abführung. 127.* in iis autem, quæ per viam appellationis ad illam perveniunt, non nisi de summa revisibili 2000. Imperialium sortis sit controversia; quamvis neque hoc casu revisio effectum habeat suspensivum, & sententia à Camera lata continuo executioni dari debeat, per *Capit. CAROLI VI. art. 17.* (4) Locus si etiam inter differentias numerandus est, dici posset, esse unum in Imperio, ubi Judicium Camerale exercetur; Juris Saxonici autem plures. Unusquisque ex Statibus Imperii, cujus provinciæ Jure Saxonico utuntur, peculiarem locum habet, ubi tribunal summum est constitutum: Judicia quoque inferiora in plurimis diversis locis habentur. Cameralis Judicii, tanquam supremi in Imperio, locus diu fuit Spira Nemetum, quæ & ipsa constanti ejus sedi destinata in *R. I. de Anno 1530. §. 83.* sed post excidium illius,

lius, ab Anno 1693, est Wezlaria, urbs Imperii ad Lanum fluvium. Hic an sit futura sedes perpetua, nondum constat. Quod nescio an à loci difficultate & defectu requisitorum, an vero alia ex causa proveniat. Illud mirum, Justitiam unumquemque amare, sed non Judicium, adeo ut etiam non levi pecuniæ summa redemptum ab aliqua celebri Civitate fuisse onus Judicii Cameralis intra mœnia habendi, & complures alias illud recipere in antecessum esse deprecatas, historiæ relationes testentur, vid. **WUNGENS** Einleit. L. 2. S. 5. S. 17. n. 14.

(5) Personæ quoque, quæ diversis muneribus funguntur, ad Camerae judicium plures concurrunt, quam ad ullum ex Saxonis; quod causarum & negotiorum in illa expediendorum multitudo ita postulat. Quippe per novissimas constitutiones Imperii illud constare debet [a] Domino Judice Camerae, qui hodiernum est Serenissimus **PRINCEPS NASOVIO HADAMARIENSIS**, (b) quatuor Præsidibus, (c) quinquaginta Assessores, (d) Fiscali & Advocato Fisci, (e) triginta Procuratoribus, (f) Advocatorum incerto quidem, sed haud exiguo numero, vid. **BLUM**. Tit. 9. n. 3. (g) Præfecto Cancellariæ, tribus Protonotariis, quinque Notariis, quatuor Lectoribus, Ingrossistis item & Copistis, porro (h) Magistro nunciorum, Quæstore, Receptore, & quæ reliquæ sunt personæ ministrantes; (i) peculiarem quoque Camera alit Medicum. Sicut autem Assessorum numerum vix ad partem dimidiam completum in officio vidimus; ita Advocatorum subin-

de esse aliquam abundantiam, asserit *WUNDE* in *der Einleit.* p. 694. Circa personam & munus Procuratorum Camerae haud levis differentia à Saxonice existit. In Camera enim nemini Procuratoris officio fungi conceditur, nisi antea Advocati munus obierit, eo quod major in Procuratore, quam in Advocato Styli Cameralis peritia requiritur: & Procuratorum quilibet Advocati quoque simul operam, ad id requisitus præstare tenetur, vid. *BLUM. tit. 10. n. 3. § 30.* Hæc in Saxonia, & in foro quoque communi, ita non requiri, constat, videsis *NICOLAI in Proc. Jud P. 1. C. 6. § 7.* Atque hæc pro scopo meo exempli loco annotasse sufficiat: reliqua, de singulis his personis scienda, cum ubique obvia sint, hic non est commemorare. Catalogum tamen personarum, quæ jam, dum hæc scribo, Camerae functionibus intersunt, infra fini Tractatus dabitur adjungere. Saxoniorum judiciorum personas recensere, cum oppido varii illa sint generis, prolixum nimis foret. Illud solum generatim adhuc addendum, Tribunalia Saxonica alia esse suprema, qualia supremum appellationis Tribunal, quod Dresdæ habetur, & extra Electoratum cujuscunque Principis judicium Regiminis five Cancellariæ: quibus cum judicio aulico Imperatoris aliqua intercedit convenientia, e. g. conf. *El. jur. publ. Tom. 4. cap. 1.* & *GERHARD. in Disc. de Diff. Jud. Aul. & Cam.* Alia Judicia Provincialia, *die gemeinen Hof-Gerichte* quæ cum Camera Imperii majorem, quoad constitutionem illorum intrinsecam,

fecam, & jura nonnulla, habent similitudinem, sic causas tantum civiles, non etiam criminales, recipiunt, æque ut in Camera: Acta item coram ipsis ventilata non solent transmittere, sed ipsa semper ferunt sententiam. Differentiæ tamen notatu dignæ sunt, quod in judiciis Provincialibus, experientia teste, ad Principem quemcunque, ex cujus terris causæ eo deferuntur, appellationes admittantur; in Camera vero nullatenus: deinde, quod illa sint intercalaria, certis tantum anni temporibus, tribus plerumque mensibus inter se distinctis, exerceri solita; Camerale vero judicium, feriis exceptis, continuo patet, nec morte Imperatoris, quod quidem aulico Judicio Cæsaris accidit, clauditur, sed Vicariorum Imperii nomine interea jus dicit. Vid. *GASTEL. in Speculo Juris, Cap. de Judiciis Saxonis, BLUM. tit. 25. n. 9. & RODING. L. 1. c. 3. §. 4. seqq.* Alia denique sunt Judicia Saxonica Inferiora, quæ vel Ecclesiastica, eaque superiora aut inferiora, vel Politica, quæ vel Consistoria Universitatum, vel judicia civitatum, nobilium, præfecturarum, & si quæ alia habentur. Singula hæc utut distinctam formam internam habeant, Ordinationem tamen illius Principis, cui subsunt, pro communi regula in processu agnoscunt.

§. 13. Proximum jam est, de Differentiis, circa *Differentia circa Jurisdictionem.* jurisdictionem Cameræ Imperialis & Judiciorum Saxonicæ, agere. Illa est suprema, remota omni appellatione & recursum ad Imperatorem; Saxonica Dicastria non æque, nisi quatenus Principum aulæ privi-

privilegium habent de non appellando. Illa est universalis, in omnes Imperii Romani subditos, vid. *RODING. L. 1. C. 4. §. 2.* & in Saxones quoque ipsos, certis casibus; horum jurisdictio in Imperio particularis, in eos tantum, qui ipsorum ditioni subjacent, quandocunque Camerae Jurisdictio non est fundata. Illa est contra omnes immediatos Imperii in prima instantia, de singulis causis, ubi Austregæ locum non habent; his tali casu nulla competit jurisdictio. Porro ratione causarum vel factorum fundatur Camerae Jurisdictio in decem casibus, qui recenferi communiter solent: (1) in causis fractæ pacis publicæ, vel religiosæ vel profanæ, (2) Fiscalibus, quas Imperialis Fiscus Procurator ejusdem Fiscus nomine in Camera persequitur, (3) Litigiosæ Possessionis, inter personas immediate imperio subjectas, (4) Pignorationum inter easdem, (5) Arrestorum, similiter, (6) Mandatorum, vel cum clausula, contra immediatos, mediatos non æque, vel sine clausula, contra utrosque, (7) Relaxationis juramenti ad effectum agendi, quando nimirum quis ob causam civilem Urphedam præstare à Magistratu, qui immediate Imperio subest, coactus absolutionem ab illa postulat, (8) Legis diffamari, si diffamatus immediate Imperio subjectus sit, (9) Denegatæ vel protractæ justitiæ, (10) Violati Privilegii Cæsarei: Quibus 10. casibus annumerari debet causæ connexitas, e. g. si res, de quibus controversia est, in diversis territoriis sitæ, tunc ut causæ continentia servetur, Camerae jurisdictio est fundata, vid. *RODING.*

locu-

locupletat. L. 1. Cap. 17. ubi ex instituto de connexitate cause agit. De omnibus jam recensitis casibus notandum, quod quodocunque ratione causæ jurisdictionis Camerae fundata est, tunc omne cessat privilegium personale, v.g. Austregarum, de non appellando &c. Ex quo ulterius pronum fuit amne, Saxoniarum Tribunalium Ictioem eadem ratione, qua Camerae Ictio, haud fundari, illamque concurrentem in adductis casibus cum hac neutiquam habere. Licet enim causæ possessionum, pignorationum, Arrestorum &c. etiam in Foris Saxonis admodum sint frequentes; illæ tamen non contra immediatos, vel ab immediatis instituuntur, sed circa subditos saltem versantur; licet quoque cum processu Mandatorum C. vel S. C. similitudinem quandam habeat Processus inhibitivus Saxoniarum; attamen iisdem casibus, in quibus mandata ab Imperii Camera decerni solent, concurrere Saxonis Ictio haud potest asseri. Generatim dici potest, quod quodocunque Camerae Ictio vel per modum simplicis quærelæ, ut in casibus hactenus memoratis, vel per modum appellationis, sit fundata, cesset ibi Ictio Saxoniarum, vicissim ubi Saxonis foris ordinaria Ictio competit, in Camera causæ non recipiuntur. Saxonica præterea iudicia certas causas tractant, de quibus Camerale filet. Quo spectant I. Causæ Spirituales & Ecclesiasticæ, si agatur de religione & doctrina fidei, de decimis, de jure Patronatus, &c. nisi tamen super possessione rei ecclesiasticæ, vel de nullitate processus, controversia

versia fit, vid. *Elect. Jur. Publ. Tom. 5. cap. 36. § 42.* ubi ejusmodi casus ventilatus reperitur. II. Criminales; de Immediatorum enim delictis non Camera, sed Judicium Aulicum Cæsaris cognoscit; mediatos vero Imperii subditos Magistratus suus punit. Excipiuntur tamen, causa Banni Imperii, & cognitio de criminibus personarum Cameralium, vid. *RODING. Lib. 1. cap. 4. §. 85. seqq.* Speciale quoque est, quod quilibet Dominorum. Cameræ Assessorum proprios famulos, si delinquant, in carcerem publicum conjicere, & pro arbitrio, ut relatum est mihi, possit coercere. III. Matrimoniales, quas Camera ex antiqua lege non recipit, nisi de sævitiis, aliave causa incidente, sit quæstio, vid. *GAIL. 1. Obs. 112. n. 17.* III. *LUDOLF. in Tract. de Jur. Fœm. II. Sect. 1. §. 17. not. (ccc).* *BERGER. in El. Proc. Matrim. §. 4. Conc. P. 2. Tit. 1. §. 3.* IV. Causæ minoris quantitatis, quæ in sorte non habent 400. Imperiales, R.I. de Anno 1654. §. Bierdtens soll. ndie. V. Cambiales, quæ cum celeriore expeditionem postulant, vix est, ut per Appellationem ad Cameraam deferantur.

De utriusque
Processus
brevitate,
&c.

§. 14. Tandem quoque haud inutile fore credo, Tractatus, de Differentiis utriusque processus, Capiti Præliminari comparisonem quandam brevitate, justis ordinis, & impartialis justitiæ administrationis, quæ tria processui judiciario laudem conciliare apta existunt, coronidis loco superaddere. Brevitatem primo quod attinet, qua causæ, absque temporis dispendio, celeri expeditione

ne

ne ad sententiam definitivam perducuntur, illam quidem quoad Cameram Imperii in dubium vocare videtur antiquum Proverbium: *Spira lites spirant, non expirant*, quod Germanicus *MONZAMBANI* interpres *Cap. 5. §. 20.* ita reddidit: *Werden die Streit-Sachen geblasen/ aber nicht ausgeblasen;* ubi quoque processuum ambages diuturnitatis illorum esse causam asseritur. Verum penitius hanc rem introsipienti patebit, non hanc, sed diversas plane causas hic subesse. Quippe de Processu Camerali, omni haecenus tempore & haud absque fructu, laboratum fuit; ut, quantum fieri posset, redderetur brevissimus: modus referendi satis quoque compendiose est praescriptus in R. I. de A. 1654. ita, ut *BERGERUS*, in *Praef. ad Electa*, in Recessu illo multa à Saxonibus, brevitatis alias in processu cumprimis studiosis, esse mutuata, & ex ordinatione Saxonica in illas Imperii tabulas relata, existimet. Et *MAURITIUS* praeterea in *Praef. Consil. Tubing.* testatur, in Camera causas à libello ad conclusionem, sive à principio disceptationis ad finem ejusdem sex vel octo mensium spatio deduci posse & saepe deduci. Alias proinde causas, si modo distiterium illud adhuc hodie sua veritate constat, justitiæ cursum sufflaminare, non est dubitandum. Maxima & adæquata mihi videtur, immensa causarum conclusarum multitudo, quibus referendis & definiendis praesens Dominorum Assessorum numerus haud par esse potuit. Et licet Camerale Collegium in diversos Senatus distinctum, aliaque omnia

D

mnia, quæ utilia visa sunt, disposita fuerint, & certum quoque sit, plures Senatus plures & definire posse causas; Optandum tamen, ut paucitati Dominorum Cameralium, eorumque salariis, quæ vera hujus mali medela foret, melius adhuc prospiciatur. vid. *El. Jur. Publ. Tom. 4. p. 577. & 582.* Sed meum non est, libere hic sentire, potius, quæ scopus meus requirit, persequar. Quod in Camera brevi tempore ad sententiam definitivam causa submitti possit, jam dum dixi. Neque majoris temporis spatio in Saxonia ad sententiam perveniri, affirmavero. Præcipua tamen in eo existit differentia, quod in Camera, præter Revisionis remedium, ad quod raro deveniri solet, & Restitutio-nem in integrum, nullum aliud remedium suspensivum superfit; In Saxonia vero per Leutationes & Oberleutationes ita sæpe causæ protrahentur, ut longe diuturniores sint, quam in Camera. vid. *GRIBNERI Principia Processus*, quibus annexa *Epistola, de Processu Saxonico in multis capitibus adhuc emendando.* Justum deinde ordinem, certis temporum intervallis distinctum, in processu observare, res haud exiguæ est utilitatis, eaque in Camera eo magis necessaria, quod negotiorum in illa multitudo talia consilia inire omnimodo postulet. Sic e. g. ad dilationum ambages recidendas certum tempus, trium vel ultra mensium pro termino & prorogatione simul conceditur, vid. *El. Jur. Publ. Tom. 4. 68. 70. & 77.* In Saxonia vero dilationes separatim impetrantur, quarum iteratio &

& negotium faceffit iudici, & sæpenumero longius causam producit, quam terminus Cameralis porrigitur. Quod denique impartialis iustitiæ administrationem concernit, illa, si ullo in iudicio, certe in Camera Imperii tuto potest expectari; siquidem illa diuturnitatem causarum, ob earum multitudinem, maximo habet odio, id quod communia Decreta ad abbreviandas lites lata, satis testantur: & sportulis abrogatis, vid. *BLUM. Tit. 23. n. 3. & 4.* certo autem salario in illorum locum Dominis Cameralibus constituto, interesse amplius circa causas hi nullum habent. Saxonica vero iudicia interesse in causarum ventilatione habent multiplex. Sed plura eaque maturiori iudicio perpensa, temporis angustia mihi dicere haud permittit. Sequi jam deberet Caput secundum hujus Tractatus, quod differentiis, circa varias Processuum species & varios actus iudiciales, destinavi, postea quoque tertium Caput, quo differentias utriusque Processus, quatenus in singulis processibus partibus occurrunt, ordine pertractare, DEO dante vires, apud me constitui. Verum & libris necessariis, & consiliis bonis, & tempore quoque destitutus, ad commodius illud differre cogor. Promissi tamen haud ero immemor, & cœptam telam, quam quidem nunc haftenus, quod sciam, tetegit, propediem plene pertexere, DEO iuvante, allaborabo. DEO interim pro concessis haftenus viribus gratias ago, quas possum, immortales.

COROLLARIA.

I.

MAjor certitudo in Jure positivo, quam in multis aliis scientiis, & fieri posset, & deberet.

II.

Denegatio secundæ instantiæ est contra Jus Naturæ.

III.

Cessante ratione legis, etiam unica & adæquata, non tamen cessat semper ipsa Lex.

IV.

IV.

Cessante appellatione, adhæsi-
ejus adhuc subsistit.

V.

Lis in dubio calumniosè mota
præsumitur, contra Lauterbach,
pag. 618.

VI.

Chirographo guarentigiato ab
hoste capto, hic non consequitur
jus ad ipsum debitum, contra Ludo-
vici in Supplem. ad Lauterbach. Tit.
de Capt. & Postlim.

F I N I S.

40 1977 02 002

IV

Cessante appellatione, adhaesio
quis adhaesio habet.

V

Lis in dabo calumnie mori
gratiam, contra Lauterbach
pag. 68.

VI

Chirographo garantigato ad
habe capto, hic non condecuit
ius ad ipsum debitum, contra Lud-
vic in dabo, ad Lauterbach. Tit
de Cap. & Sollim.

F I N I S

X 2379334

m.c



3865

QK 168

TRACTATUS
DE
DIFFERENTIA
PROCESSUS JUDICII

CAMERÆ IMPERII A PALATINO
JUDICIORUM SAXONICÆ

CAPUT PRIMUM,

QUOD,

SPECIMINIS INAUGURALIS
IN ACADEMIA PATRIÆ

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO

DOMINO

PHILIPPO WILHELMO

S. R. L. COMITE DE BOINVILLE

SACRÆ CÆSARÆ ATQVE REGLE CATHOLICÆ MAJESTATIS
TIMO ET CAMERARIO, NEC NON METROPOLITANARUM
GUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SE
SUPREMO CHORL. EPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS
GUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS

ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE;

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES

RITE ADIPISCENDI,

DIE XXX. MAJI, ANNO MDCC

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SUBMITTIT

JOANNES WILHELMUS

ERFURTENSIS.

ERFORDLÆ, TYPIS JOH. HENRICI GROSCHII, A

4

